



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Capvt IX. Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

eodem implicabitur modo. Quod si superfluum ubiq; inutile est, in pecunia fortius multo; & qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui de foris in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta, viam verò in calum ferentem, & eandem arctam, & arduam, tot cum impedimentis, quo modo poteris ambulare? Vt loci enim, & expedito cuiquam panem impossibile est consequi salutem. Quemadmodum ergo, qui in altis sunt specibus, à fulmine non feriuntur; ita infima fortuna tutissima est: ab auditione mala non timebit. Quæ est auditio mala? quod fulmen illud? *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

Psal. III.
7.
Matth.
23. 41.

CAPVT IX.

Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat?

§. I.

Pauperum mors pretiosa, diuitum pessima.

I vlla res est, quæ paupertatē commendat diuitiasque odio dignas facit, mors ea profectò est; nã eam pauperes læti expectant, & sæpe etiam optant.

tant; diuites autem horrent, & execrantur, & omnibus modis differre, fugere, fallere conantur: illi enim velut è carcere & vinculis emissi, de calamitate euolant ad libertatem ac gaudia; isti autem à suis delicijs ad metuendum iudicem, per mortem, trahuntur. Hinc illi hinc fame, siti, varijsque ærumnis pressi, memores Lazari illius, clamant:

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Psal. 119.

itemque: *Infelix ego homo, quis me liberabit de* 5.

corpore mortis huius? Quid ita? Quia pre- Rom. 7.

riosa, in conspectu Domini, mors sanctorum eius. 24.

At verò mors peccatorum pessima. Hinc Scriptura ait: *O mors, quàm amara est memoria* Psal. 115.

tua, homini pacem habenti in substantijs suis; 15.

viro quieto, & cuius via directa sunt in omnibus, Psal. 33.

& adhuc valenti accipere cibum? O mors bo- 22.

num est iudicium tuum homini indigenti, & Eccli. 41.

qui minoratur viribus, defetto ætate! 6.

Quemadmodum itaque Lazarus mortem non timuit, sed sperauit; quia nouerat, mortem sibi esse finem malorum, principium bonorum; ita diues à morte abhorruit, quia sciuit eam esse sibi finem bonorum, & principium malorum. Siquidem illi postea dictum est: *Fili,*

recordare, quia recepisti bona in vita tua, & La- Luc. 16.

zarus similiter mala: nunc autem hic conso- 25.

latur.

latur, tu verò cruciaris. Illius crux fuit temporaria, tua erit æterna; tua voluptas erat fluxa & brevis, illius semper durabit. Sicut ergo illius mors fuit *pretiosa*, ita tua *pestima*. Ad quem finem quisquis respicit, more sapientum, utique non solum patienter, verum etiam libenter fert paupertatem, ut quæ exitum habet longè lætorem ac securiorem.

§. II.

Poëticum Exemplum divitis vitam prolongari cupientis.

Quàm autem inuiti sese sinant ex hac vita expelli, quibus est aurum, & omnis rerum copia, qua sunt irretiti, eleganti dialogo Lucianus expressit. In eo enim cum Charontem induxisset de Mercurij, in animabus sistendis, nimiam moram querentem, Mercurius sudore madens, ac pedibus pulvere conspersis, crebroque anhelans, suspirijsque assiduis fatigationem professus, tarditatem suam excusat, quod tempus insumpserit, in scelesto quopiam (& monstrabat eum) aufugiente prosequendo. Aufugisse verò illum, quod diutius vivere cogitaret; esse autem vel regem quempiam, vel tyrannum, quantum quidem ex eiulatu eius conijcere licuerit: *nam ingenti quadam ex fe-*

Lucian.
in Cata-
plo, sive
tyranno.

lici-

licitate se deiectum querebatur, Quamuis enim filum Parcarum jam defecisset, stultum tamen superuiuere omni modo conatum, ac planè euasurum fuisse, nisi pauperculus aliquis Philosophus, qui baculum manu gestabat, auxilio fuisset, itaque diues ille comprehensus alligatus vinculis esset. Ex quo enim eum Atropos Mercurio traderat, per omnem viam se retrahere atque obniti numquam destitit captiuus. Quin pedibus solo oppositis, ita se offirmauit, vt inter ducendum Mercurio non parum negotij exhibuerit. Aliquoties supplicabat, ac deprecabatur, ingentia daturum se pollicens, si vel paululum dimitteretur. Megapenthes autem Lacydæ filius, tyrannus is erat, qui ad superos remeare cupiebat, vel prece, vel pretio id obtinere nitens. Cuius rei cum ex ipso tyranno causam audire vellet Clotho, respondit, domum se semipfectam reliquisse, quam vellet ad fastigium perducere: quin, (quia eum nugas agere dicebat Clotho) saltem vnum diem apud superos adhuc degere vt sibi liceret, rogabat; quo tempore de pecunijs vxori nonnihil iniungeret, atque vbi defossum thesaurum habuerit, demonstraret; quem
P oppidò

oppidò dolebat in Megacelis inimici sui manus deuenturum. Dolebat etiam murum manere imperfectum; & nauium stationem inchoatam, & Pisides sub iugum nondum missos; & Lydis tributum non imperatum; nec sibi adhuc magnificum monumentum erectum: nec inscripta & commentarijs credita, quæ in vita gesserat; quibus expediendis, non vnum diem, sed viginti annos consumpturus erat. Dolebat, vxorem suam seruo, filiam tyranno in manus venturam; statuas & imagines sibi erectas, euertendas; neque illorum vllum, qui eum, tamquam amicissimi, instar Numinis alicuius adorerant, obstiturum; & mille alia talia. Nam auro, argento, purpurâ peristromatis, equis, cœnis, famulitijs, delicijsque omnibus carendum erat; ac insuper Rhadamanti iudiciũ vehementissimè metuebat, apud quem suas crudelitates ac libidines, aliaque flagitia sciuerat acriter accusanda; à quo, quia & ipse noua supplicia, & ad immanitatem suam explendam recens inuenta in terras induxerat, præter alias pœnas, iussus est, non more ceterorum bibere ex obliuionis fonte, vt hoc pacto tantò grauiora tormenta persentisceret, recordans, semperq; animo

mo versans, & quis fuerit, & quanta apud superos potentia præualuerit: maximè autem, cum animo identidem recoleret, quantis doloribus, quantas delicias ac voluptates commutârit, ex Cræso Irus, ex fortunato infelicissimus factus. Hæc ferè, & plura de *peffima* diuitis morte Lucianus.

§. III.

Poëticum Exemplum pauperis morte gaudentis.

At de Cynisco paupere, & Micyllo futuro, omnia in contrarium recenset, qui Hecates cœnâ ac ouis lustralibus, cumque his sepiâ crudâ, deuoratis vitam finire: illudque solùm, contra Parcas, questi sunt, quòd tam longo tempore, apud superos errare, permiffi essent; & Lachesis vniuersam colum ferè illis solis adglomerasset. Nimirum adeò pauperes erant, vt eam ob caussam se à Morte contemni ac negligi arbitrarentur, neque exiguam esse iniuriam existimarent, tot annis in vita relictos esse. Quærit igitur Clotho, cur tam grauitè ferant vitæ moram, pro qua alij mille auri puri talenta se duros repromiffissent? Cui respondet Micyllus: *Non admodum me delectat munus illud Cyclopi, videlicet in hunc modum polliceri:*

P 2

Post

Post omnes alios, tandem ipse vorabitur
Vitis.

Sive enim primum deuoret, sive postremum, ijdem me dentes manent. Sed enim neque alias mea res, ut diuitum se habent. Nostra enim & illorum vita (quemadmodum aiunt) perpendicularo inter se distant: quandoquidem tyrannus, qui in vita horrendus omnibus & suspiciendus videbatur, nunc auro, argento, vestibulq; exutus, tum & equis, cœnis, pueris, ac mulieribus post se relictis, eorum desiderio non iniuria cruciatur, ac à tot commodis se abstrahi fert graui-ter: quibus nescio quomodo, anima ipsa velut glutino haret affixa, neque se facile sinit auelli, ut qua eis jam diu inhaferit: quin magis tamquam vinculum aliquod est infragile, cui ipsis illigari irretiriq; contingit, adeò ut ubi quispiam eos abducere pararit, plorent. Ac cum in ceteris sint feroces, in hac tamen via, qua ad inferos ducit, meticulosi deprehenduntur. Itaq; subinde dant terga, & ad ea, qua procul in luce, apud superos geruntur respicere gestiunt: sicut stultus hic faciebat, qui non solum in itinere aufugere conabatur, verum etiam hic mortem frustra deprecatur. At ego, ut qui in vita pignus haberem nullum, non agrum, non domum magnifice extructam, non aurum, non supellectilem,

non nominis gloriam, non imagines, ad mortem expeditus merito eram. At statim ut mihi solùm innuit Atropos, abiectis & subula, & loro geniculari, tantùm crepidam quamdam manu portans voluntariū sequebar, usq; adeò haud grauatim, ut dum præ festinandi studio subsulto, neque calceos subligarim, neque atramentum absterferim. Immo verò præcurrebam, quæ ante me essent spectare gestiens. Neque enim a tergo mihi erat relictum quidquam, quod me vel conuertere, vel reuocare potuisset. Et per Iouem, quacumque hic apud vos video, mirum, quàm mihi placent: nam pares honorum gradus hic dari, nec quemquam vicino præstare, res mihi omnium longè suauissima videtur. Deinde coniecturam facio, ne as quidem alienum hic a creditoribus repositi, neq; tributum cuiquam pendendi, neque, quod omnium maximum est, hyberno tempore quemquam rigere, neque agrotare, neq; potentiores in humiliores pugnos ingerere. Postremò pace consistunt omnia, & in contrarium tota vita ratio versa. Siquidem nos pauperculi ridemus, discruciantur autem & plorant diuites. Cùm apud superos propter tyrannum habitarem, quæ apud eum fierent, nimis quam accuratè inspectabam. Actum quidem feliciter, ex æquo cum dijs viuere mihi vi-

debatur. Nam cum purpura florem spectarem,
 & comitantium turbam numerarem, aurum
 ac pocula gemmis distincta mirarer, lectos argen-
 teis pedibus suffultos stuperem: beatum plane ho-
 minem predicabam. Ad hæc, eorum quæ in
 cenam apparabantur, nidor sæpe me prurire fa-
 ciebat. Iam verò cum pro maiestate in publicum
 prodiret, & se ipse subinde erigens velut resu-
 pinaret, obuiusq; stuporem iniceret, ceteris mor-
 talibus pulchrior, & fortuna beneficio toto pe-
 nè regio cubito sublimior videbatur. Sed ubi
 iam vita functus esset, ipse quidem istis delicijs
 exutus ridiculo fuit omnibus: ego verò meam
 stultitiam multò magis ridebam, qui eiusmodi
 non hominem, sed hominis probrum, ad stuporem
 usque, miratus fuissim, cuius felicitatem, ex
 epularum tantum nidore aestimassim, quemq;
 ob sanguinem, qui Laconici maris testudinibus
 innascitur, beatum predicassim. Neque verò
 hic solum mihi ludo fuit, verum etiam cum
 Gniphonem illum foeneratorem gementem vi-
 derem, & quòd pecunijs, dum licuisset, usus
 non fuisset, propriam sortem deplorantem. Im-
 mò quòd ne semel quidem illis à se gustatis, ve-
 rum luxu perditò Rhodochari relictis, è viuis
 excessisset (hic enim quia genere proximus erat,
 in hereditatem lege vocabatur) hæc, inquam,
 cum

cùm cerueres, risum sistere nullo modo potui, præsertim recordatus, quàm in vita pallidus semper & squalidus obambulasset, & vultu præcurarum magnitudine tristi. Deinde, quòd solis digitis opulentus fuisset, quibus talenta, & milliones supputare consueuisset, ea paulatim, & minutatim corradendo, quæ fortunatissimus Rhodochares haud ita multò post fuerat egregiè distraeturus. Hæc Micyllus vbi pro felici pauperum morte, contra infelicia diuitum fata perorauit, Cyniscus, in cymba Charontis, inter nauigandum, nautica aliqua cantilena, remiges cantans accendere voluit; sed opulenti plorando obstreperunt; & vnus quidè vociferabatur: *Hei mihi, quæ reliqui prædia?* Alius verò: *Heu quàm fertiles agros?* Alius: *Me miserum, qualem reliqui domum?* Alius, *Væ, væ infantulis meis.* Alius: *Quis nunc vnas decerpit è vitibus, quas hoc anno plantauit?* Hæc Micyllus plorantes ridebat. Sed iubebatur & ipse cum plorantibus complorare, quandoquidem fas non esset, quemquam, citra lachrymas pernauigare. Negantem sibi causas esse plorandi rogabat Mercurius, vt saltem pro more paulisper ingemeret. Cui Micyllus, *Quin hæc gratia, quando ita vis, inquebat, plorabo.*

Cumque aliam plorandi causam nullam
posset excogitare, ita ingemuit: *Hei mihi,
quot lora reliqui, hei crepidas antiquatas! Eben
marcidos calceos. Non ego infelix posthac à ma-
nè ad vesperam usq, sine cibo peragam, nec hie-
mis tempore sine calceis & seminudus oberrabo,
dentes præ frigoris acerbitate complodendo. Quis
tandem meam habebit subulam? quis aciculum?*
Talia nimirum pauperibus in morte occur-
runt momenta lamentandi.

§. IV.

*Historie sacre diuitum mortem timen-
tium.*

Poëtica hac fictione homo etiam impius
expressit veritatem, qua agnita, vel ipsi
Philosophi Ethnici opulentia paupertatem
antetulerunt, vt expeditius morerentur.
Sed longè efficacius, quàm agrè diuites,
quamq; magno animo pauperes ex hac vi-
ta exeant, veræ historiæ docuerunt. Bal-
thassar rex Babylonis, magnæ potentia,
magnarum opum, exemplo Nabuchodono-
foris patris, hoc est, aui sui, qui ante eum
fuerat in figuram bestia commutatus, non
est correctus: sed fecit grande conuiuium
optimatibus suis mille, & præcepit iam temu-
lentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea,
qua

Daniel.
§. 1.

qua affortauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem &c: Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, ferreos ligneosq; & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulae regia: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Ecce quò diuitiæ ducant; raptæ è templo à Nabuchodonosore, per filium eius Euilmerodach, ad nepotè Balthasarem (qui consueto scripturæ more, aui sui filius vocatur) sacrilega hereditate transferunt; ille, vt opulentus, epulatus est; immo & inebriatus; deinde non solùm sacrilegus possessor, sed etiam usurpator fuit, nam nouum sacrilegiũ commisit vasa Deo dicata profanando. Deniq; id fecit, non sine insigni contumelia veri Dei, cui in vasis cultui eius dicatis insultauit, quippe cum combibonibus suis laudabat deos suos aureos & argenteos, &c. quasi victores Dei Israël. At non morata est vindicta diuina. Non enim duntaxat eadem statim nocte interfectus, & regnum eius ad

Ierem.
27. filius
filij eius
vocatur.

Medos & Persas translatum est, sed etiam animaduertens, mortem sibi portendi, totus cohorrui; & mortem vel temulentus ita apprehendit vehementer, vt facies eius commutaretur, & quæ antè vino rubebat, iam repenti expalesceret; quique paulo priùs totus erat in lætitijs, iam subito in temperijs ageretur, & cogitationes eius conturbarent eum; quin etiam adeò vel suspitione necis commouebatur, vt compages reum eius soluerentur, adeò totis artubus contremiscebat, vt genua eius ad inuicem colliderentur. Quod videmus etiam sæpe contingere illis, qui inter pocula saturi arma & prælia iactant, ipsique etiam Marti & calaminantur. Putares illis robur & æs triplex circa pectus esse, sed cùm ad rem venitur, cùm confligendum est, & manus conferenda, tum morbum fingunt, tum medicinam sumunt, ne cogantur prælijs interesse. Quin & cùm verè agrotant, animo magis quam corpore deijciuntur, nec quidquam tristiore vultu audiunt, quàm cùm dicitur: *Dispane domui tue, quia morieris tu, & non viuet.* Quod vbi vel Ezechias audiuit, *fleuit fletu magno.* Nimirum amara est memoria mortis homini pacem habenti in substantijs suis.

Ma: 38. 1.

Eccli. 4b
1.

§. V.

§. V.

*Quam vehementer Antiochus mortem
timuerit?*

Quod etiam in Antiocho demonstratū est, qui, vt mortem euaderet, quid non fecit? immo quid se facturum non simulauit?

1. Cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina ad monitus plaga. 2. Cū nec ipse iam factorem suum ferre posset, ita ait: *Instum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Adeo non mente tantum illuminatus est, sed lingua quoq; errorem suum confitebatur. 3. Vt ferio loqui videretur, etiam opera adiecit. Nam & ciuitatem, ad quam festinans veniebat, vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorū faceret, nunc optat liberam reddere; & Iudeos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurū, & cum paruulis se exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicetur. En vt se emendauit! En vt maleficia beneficijs compensat! 4. Templum etiam sanctum, quod prius expoliamerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturū, & pertinentes ad sacrificia sumtus de redditibus suis prastaturum spondet. Vides vt etiam,

Deo

2. Machi
9. 11.

Deo

Deo velit satisfacere? 5. *Super hac & Iudeum se futurum, & omnem locum terra perambulaturum, & predicaturum Dei potestatem promittit. Quid potuit amplius expectari, aut optari? 6. Scripsit & ad Iudæos litteras humanitatis plenissimas. Denique omnem lapidem mouit, & tamen de eo dicitur: Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Igitur homicida, & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractauerat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est. Quid ita? cur tanta faciens misericordiam non est consecutus? Respondet Augustinus: Nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesie, & fidei. Atqui Iudeum se futurum promissit? An non hoc erat in unitatem Ecclesie, & fidei velle venire? Nimirum hæc omnia cogitabat, dicebat, faciebat Antiochus tantum vt sanitatem consequeretur; neque ex animo credebat in Deum Iudæorum, neque verè statuebat seruare religionem ab ipso præscriptam; tantum enim hæc tam speciosa promittebat, vt posset euadere præsentem calamitatem; quasi Deum id lateret, aut diuinus oculus decipi posset. Nimirum vsq; adeò potentes isti omnia ponunt*

2. Mach.
9.13. & 28.

S. Aug.
de vera
& fals.
pœnit.
cap. 11.

nunt in hac vita, vt mortis effugiendæ caus-
 fa, quiduis agere, quiduis pati; & vel reli-
 gionem ipsam, omniaque sacra & profana
 vendere velint, nihilq; magis quàm mortem
 abominentur. Est enim *mors pessima pecca-*
torum. Psal. 33. 23

§. VI.

Quàm sit pretiosa mors sanctorum, Sadoth
declarauit.

At pauperum *mors pretiosa, quia ipsorum*
est regnum calorum. Hinc mortem non for-
 midant, sed sperant, tamquam ianuam fe-
 licitatis. Simeoni Episcopo & martyri, suc-
 cessit in officio Sadoth, apud Persas Chri-
 stianorum persecutores; cui quale ostentum
 fit visum, ipse clam ad se conuocato clero
 in hunc modum exposuit. Vidi, hac nocte,
 fratres, per somnum, scalas à terris vsque
 ad cælum splendidè erectas. Ad verticem
 earum, in cælo, consistebat, clarissima in-
 luce refulgens inclytus martyr Simeon Epi-
 scopus; is me ad pedem scalarum in terris
 stantem, ita compellabat: *Ascende ad me*
Sadoth, ascende, ne timeas: ego enim heri as-
cendi, tu autem cras ascendes. Quod ego ita
 accipio, vt existimem, sicut ille priore anno
 pro Christo mortem oppetijt, ita me hoc
 anno

Psal. 115.

35.

Matth. 5.

30

Surius ex

Metaphr.

20, Febr.

anno, pro eiusdem nomine sanguinem profusurum. Hæc ubi dixit, cœpit etiam diaconos ac presbyteros præsentés ad mortem fortiter patiendâ his verbis adhortari. *Fratres mei dilecti & Patres, Deum amemus ex tota anima, & Dominum Iesum Christum ex tota mente: & induti lorica fidei non timebimus omne malum. Mors autem & cades si ad nos uenerit, non formidemus, sed unusquisque nostrum bellum gerat pro viribus, & decertet, ut perfectus athleta. Nam siue moriamur, moriemur ut perfecti: siue uiuamus, uiuemus ut iusti. Quod si etiam moriamur, moriamur propter nostrum Salvatorem Iesum Christum. Cum ergo ensis dei vitam, adeste, & eum rapiamus. Et quoniam micat gladius, aeternæ uitæ opes nobis comparemus. Quam diu enim est dies, celeri pede pergamus ad mansionem regni caelestis, ut abundantiore honore, & gloriâ aeternam consequamur, & omni futura generatione uobis nomen & gloriâ relinquamus. Fratres, oremus Deum nostrum, ut citò nobis impleat hanc uisionem. Nam cum gaudio & desiderio, & magno amore accipit spiritualis aduentum talis mortis: neque timuerit aliquis, qui fuerit preparatus. Carnali autem est terribilis, & formidandus eius aduentus. Spirituales non timet mortem,*

ut

ut qui vitam possideat spiritalem. Carnalis verò caligat, & tremit, ut qui carnalē vitam habeat.

Qui sunt viri boni, promptoq; & alacri animi studio, talem mortem persequuntur, ut ex ea vitam aeternam possideant. Qui sunt autem ignaui & pigri, ij, eā visā, se abscondunt. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt. Qui verò mundum, manent in mundo. Illi quidem resoluti ad lætitiā, & exultationem, hi autem ad afflictiones, & suspiria. His verbis S. Sadoth se, & centum viginti octo de clero, ita accendit, ut omnes, sub Sapore, lætantes, & cantantes, & Deo gratias agentes, catenati ad mortem currebant. Nam ferro, non affectu alligati, à paupertate sua, ad cælestes diuitias, liberè, sponteque properauerunt.

§. VII.

Pretiosa Blesilla & S. Ioannis Eleemosynarij, pauperumq; mors.

De Blesillæ viginti annorum viduæ morte ita matrem Paulam consolatur D. Hieronymus. *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœna aeternus ignis aestuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obuiam Christus occurrit: grauemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus.*

Quia

D. Hieron. in vita S. Blesillæ viduæ,

2. Cor. 5.

Quia quàm diu hic moramur, peregrinamur

Psal. 119.

Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitant cum habitantibus Cedar; multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebrae sunt, & mundus iste sunt tenebrae, quia lux lucet in

Ioan. 1.

tenebris, & tenebrae eam non comprehendunt: fateamur Blefilla nostrae, quae de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera si saeculare desiderium; & quod Deus suis auertat, delicias vitae huius cogitantem, mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc vero, cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo, semper monasterium (& in eo voluntariam paupertatem) cogitaret, non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irasceris, Paula, quia tua filia, mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? Scis enim quid de te; quid de ceteris tuis cogitem? Huc vsque Hieronymus, qui mortem Sanctorum vsque adeo felicem ac pretiosam esse iudicauit, ut ne mater quidem filiae obitum debeat deplorare. Ioannes Patriarcha

triarcha Alexandrinus, qui pauperes Do-
 mimos suos appellabat, morte instante, mi-
 rificè lætabatur, dum gratias Deo ageret,
 quòd morienti sibi nihil superesset, præter
 unum nummum, quem statim indigenti da-
 ri iussit. Annum quippe illi patriarchatûs
 vectigal, annuæ in egenos eleemosynæ
 erant, nihil sibi reseruant, præter Chri-
 stum. Neq; enim quicquam aliud suum esse
 dicebat, asserens, ideò sacerdotibus neque
 possessionem, neque partem, neque hæredi-
 tatem inter reliquas tribus datam, quoniam
 pars & hæreditas, & possessio eorum est
 Dominus. In summa, teste Ioanne Clima-
 co, *Probatu* ille est, qui mortem diebus sin-
 gulis expectat; sed ille sanè sanctus, qui hanc
 horis singulis desiderat; quod faciunt pauperes
 spiritu, quia aliquid lætius sperant, post
 mortem, secuturum. *Neq; enim, auara an-*
gustaq; Christianorû religio est, inquit S. Fran-
 ciscus Xauerius, *similiter ut Bonziorum: non*
excludit celo pauperes, non mulieres, si modo
Christiane pieq; vixerint; quibus tamen Bon-
ziorum siue auaritia, siue superstitio, cali-
ter interclusit.

Ioanni
 Diac. in
 vit. S.
 Gregor.
 Magn.
 lib. 2.

Ioan. Clima-
 co. in
 scala ca-
 li, grad.
 61.

Horat.
 Turbell.
 lib. 4. c. 5.
 de vita S.
 Francisc.
 Xauerij.

Q

CAPVT